



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An pereunte re, cui privilegium inhæret, pereat quoque & extingatur ipsum privilegium?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

regulam 6. in sexto nisi causa donationis, remunerationis, aut pacti alicujus &c. aliud circa tale privilegium jubeat.

## §. V.

*Quibus modis privilegium revocetur, & quando revocatio privilegiorum vim suam & effectum habeat?*

Revocantur autem privilegia expressè, vel tacitè; expressè per verba expressa, vel per clausulas speciales, aut generales, nisi sint in Corpore juris clausa, vel specialibus clausulis munita, vel per modum contrarius concessa sint; ad talia enim privilegia revocanda non sufficient clausulæ generales, sed specialis sæpius derogatio facienda, & expressa. Tacitè verò revocantur per actum Principis concedentis, directè contrarium privilegio, cum quo actus talis subsistere non potest (nisi in Principe præsumi posset ignorantia privilegij) vel per legem contrariam universalem, si privilegia concessa sint in Corpore juris contenta: neque tamen per mandatum particulare, aut rescriptum Principis censetur privilegium, cui contrarium hoc rescriptum est, tolli, si nullam clausulam derogatoriam habeat, *cap. cum ordinem 6. de rescriptis*, nec per privilegium posterius, contrarium priori revocatur prius speciale, nisi specialis prioris mentio derogatoria fiat *cap. veniens 19. juncta Gloss. V. nullum de prescript.* (Cum in his casibus non præ-

sumatur Princeps scientiam habuisse prioris privilegij, vel certè dici debeat, derogari quidem per tale rescriptum speciale posterius privilegio generali, quoad hunc actum & hanc vicem, non tamen in genere & in omni casu) neque per sententiam latam à Principe, qui privilegium potuit concedere, censetur revocari privilegium *cap. sub oria 21. de sent. & re judic.* quo in casu reprobare potius privilegium pro hac vice censetur Princeps, quàm revocare.

## §. VI.

*An pereunte re, cui privilegium inhaeret, pereat quoque & extinguatur ipsum privilegium?*

Respondetur, perire quidem privilegium reale, sive rei adhærens, pereunte tali re, sicut personale privilegium extinguitur pereunte personâ, cui concessum est, ita tamen, ut distinguendum sit, an locus, vel res sacra, Ecclesia videlicet, vel monasterium, &c. autoritate Superioris destruaturs absque ulla spe restitutionis vel reparationis, &c. vel utrùm pereat ab hostibus v. g. diruta, combusta, &c. cum spe reedificationis; in illo casu pereunt privilegia tanquam subtracto in perpetuum fundamento; in hoc autem casu remanent omnia privilegia non tantùm, quæ solo affixa sunt, sed etiam ea, quæ in loco tali sacro exerceri possunt, suspensa tamen manent, usque dum locus talis iterum ædificetur.